SYMBOLAE

AD

INFORMATIONEM ORGANI REGULARIS
SEU NORMALIS

IN USUM

FIDEI DOMINI JESU CHRISTI
ET DEI PATRIS

AC


COGNITIONIS IMPETRANDAE, ADSERVANDAE, AUGMENTANDAE.

SCRIPSIT

Karl
CAROLUS ULRICUS GAAB,
NUPER DECANUS HERIMONTANORUM.

PROPRIIS SUMTIBUS.

TUBINGAE.
TYPIS FUESIANIS.
MDCCCXXXVI.


THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARIES
CHICAGO, ILL.

PRAEFATIO.

Organum regulare sive instrumentum normale, cujus ope et ductu ad Jesu Christi Domini nostri fidem et cognitionem acquirendam, asservandam atque augendam certo, firmo, claro progressu perveniatur, et justitia, sanctificatio et perfectio praeparentur, significentur et promoveantur, informare, et completius, quam hucusque factum est, componere, inde a nonnullis annis in corde fuit; verum argumenti gravitas, variorum negotiorum multitudo, quae ob mandata munera mihi erant praestanda, et valetudinis infirmitas opus, quod initio historiae vel enarrationi ipsorum meorum progressuum modo simile videri poterat, perficiendum, ad hunc usque diem protraxere. Praeterea etiamnum minime nego, me consilio nondum satisfecisse et videri, ejusmodi

proposito nunquam satisfieri posse vel satisfactum iri, certe rem multis difficultatibus laborare, et saltim peractu demum faciliorem fore; attamen jam non diffiteor, multa, quae in hoc scripto occurrunt, notatu digna et vera et probata esse, quae conjunctim atque invicem distincte et concinne in quendam ordinem redacta nullibi adhuc repererim, quaeve novam vel potius distinctiorem aut ulteriorem augmenti scientiae vel cognitionis viam aperuerint, qua via illae aut brevius, aut generalius, aut minus specialiter, aut minus complete, neque satis disjunctim a multis doctoribus adhibitae indicationes seu significationes incrementorum a Jesu Christi, Domini, cultoribus capiendorum, lucide, enucleate et simul concinne uno libro perhibitae fuerint, quo duce vel comite sub Domini gratia fides Dei Patris et Filii, Jesu Christi, cognitio adeoque vita aeterna, perfectio atque aedificatio singulorum Christianorum et totius Dei coetus increverit. Concedo quidem, multos e doctoribus Christianorum internos fidei Christi et

cognitionis progressus singulis occasionibus et locis optime monstrasse et descripsisse; verumtamen me non fugit, eos hanc methodum non ubique secutos peregisse, neque multifarios fidei, cognitionis, persuasionis, veritatis gradus, et varias, quas dicam, mansiones seu stationes accurate significasse et promsisse. Sacra scriptura sive divinum verbum, quod comprehendit, aeque verum, verax et efficax, perfectum atque ipse Deus est, et hominis indoles et cognitio, quam cor contemplando ex illa scriptura haurire potest et debet, maximae et infinitae perfectibilitatis indigens et capax est et compos perfectionis, ad quam vocatum est, fieri potest itemque debet. Ne quis autem vel putare pergat, se summum et ultimum cognitionis et perfectionis gradum unquam assecutum esse, et nemo e nobis de vera gradus, quem obtinuit, existentia et constantia et tenacitate certis argumentis conjungenda, plene illico sibi persuadeat, neque ejusdem gradus statim totum se conscium habeat et praescripta ratione tantum viam laudatam fir-

miter teneat et persequatur. Ex hoc opusculo facile patebit, permultas mihi super iis, quae in illo scripsi, observationes succurrisse cordi oblatas; quare eas cum suis argumentis in plures chartarum fasciculos collegi, ideoque in hoc libello stylo aphoristico usus sum, ceteras expositiones aliis temporibus et occasionibus, si Domino placuerit, relinquens. Multi ex lectoribus enuntiata mea suis cogitatis, observationibus, incrementis, sine dubio comprobabunt, et spero, fore ut olim perfectius opus multis invicem communicatis observationibus conjunctis, unitis viribus et vocibus confirmatum, compositum, certissime in lucem prodeat. Omnes observationes, quas in hoc libro protuli, ex mea contemplatione, deprehensione, experientia, provectione desumtae sunt, seque mihi designata justa via et methodo obtulerunt, quae via absque omni dubio eadem aliorum Christi Domini cultorum est, qui item eandem Domini praeceptis accommodatam viam ingressi sensim sensimque ad eandem ejusdem veritatis cognitionem hujusque graduum provectionem per-

venerint, iisdemque observationibus, experientiis, persuasionibus, proprietatibus, virtutibus gavisuri sint. Veritas graduum cognitionis veritatis Christi citra omne dubium est et dictis sacrae scripturae plane convenit; quare loca verbi divini, quae hanc sententiam innuunt, hic allegare superfluum foret. Id modo opto, ut omnes materiae, de quibus in hoc opere agitur, magis magisque accuratius inquirantur, illustrentur, perficiantur, ecclesiaeque concionatores et doctores satius intelligant, quibus modis suos discipulos in his gravibus rebus et amplius explorent, instituant atque ad provectum, emendationem, aedificationem, justitiam, sanctitatem perducant. Neque me latet, hoc opusculum lacunis et vitiis laborare; at mihi persuasum est, illud notiones, ideas, cognitiones, veritates, complecti, quae non tantum agnoscentur, sed ad ulteriorem explorationem et perfectionem facient, hocque libello plura in compendiolum redacta contineri, quae nostrae aetati plane apta sint. Utique unus et alter ex una vel altera doctrina sive veri-

tate, sive ex uno vel altero dicto sacrae scripturae ad cognitionem Dei patris et Filii, *qua nullum aliud beneficium praestantius est*, ejusque provectus magis aut minus clare et sibi conscie excitatur atque evehitur, et Christiano non nisi ex observata obedientia fidei erga sacram scripturam et nominatim erga doctrinam, normam et dictamen mortis Jesu Christi expiatoriae atque pro usu regularum et subsidiorum, quae sacra scriptura praescribit, cordi poenitenti, fidenti et contemplanti ornato persuasio veritatis christianae et cognitio pedetentim contingit et enascitur; attamen quaestio obvenit, an illa cognitio cuivis eadem claritate eodemque facili et distincto progressu, gradatione eadem succedat? Id, quod omnino fideli tantum homini christiano, si modo divinis sacrae scripturae regulis accurate et humiliter utatur, ante obortos dies adfirmare àusim. Quod si autem non omnes divinae regulae iisdem sive aequalibus viribus religiose et sincere cogitentur, adhibeantur et observentur, neque claritas cognitionis adeo adpa-

rebit, neque provectus bene succedet, neque perfectio veloci modo continget. Ubi enim progressio ita clare et distincte non animadvertitur, ibi perfectio longe abest, et impedimenta adsunt. Neque enim imaginatim, neque saltuatim procedi potest nec debet.

Omnes organi, de quo sermo est, partes in divino sacrae scripturae verbo consignatae sunt, itaque ex hoc eodem fonte perenni desumtae atque haustae, ex hac quasi eadem arbore depromptae, in unam tabulam seu catalogum, quem suadeo, congestae et conjunctae, eodem aequali vel simili usu eosdem fructus sive eosdem effectus perhibebunt; modo tempori relinquatur, quo etiamnum concinnius et dilucidius invicem enarrentur, illustrentur et redigantur. Omnino ex una parte constat, omnes et singulos, qui omnibus mediis et subsidiis ad Christi, Domini, fidem et cognitionem impetrandam, asservandam atque augendam facientibus utuntur, subjecta individua esse, ideoque propriam suam cogitandi, sentiendi, volendi atque agendi facultatem, in-

dolem, rationem, consuetudinem, usum habere, itemque modo hanc, modo illam scripturae sacrae veritatem ex suo arbitrio et desiderio suae contemplationi submittere; sed ex altera parte observare liceat, scripturae sacrae contemplatori certam et eandem normam seu formam (*κανονα*) poenitentiae et fidei in persona, doctrina, morte expiatoria, resuscitatione, adscensione Domini Jesu Christi in coelum corde tenendam, inhaerere atque inesse, ita ut quivis Christianus, unus et alter, omnes ac singuli ex Christi cultoribus citius serius easdem notiones, repraesentationes, veritates, eadem cogitata, sensa, eandem cognitionem et provectionem inter credendum et contemplandum sensim sensimque atque ulterius experturi sint, animadversuri, percepturi dictumque Pauli apostoli comprobaturi epist. ad Eph. cap. IV. vers. 13. *μεχρι καταντησωμεν οἱ παντες εις την ἑνοτητά της πιϛεως και της επιγνωσεως τȣ Ὑιȣ τȣ θεȣ, εις ανδρα τελειον, εις μετρον ἡλικιας τȣ πληρωματος τȣ Χριϛȣ.* Qua propter persuasum habeo, non ita multos fore, qui opus incon-

gruentiae arguerint vel qui opinaturi sint, ejusmodi organi formationem perfici non posse, quoniam cognitio eaque progressiva plane subjectiva sit, quum tamen remedia et effecta omnibus eadem et communia sint, et adpareant, ideoque e religioso usu et experientia sive animadversione objectiva reddi possint et reddantur; id enim, quod multi fratres, Christi cultores observant, detegunt, animadvertunt, testantur, et cum quo omnes justo mediorum usu inter se consentiunt, et cujus omnes participes fieri possunt et participes fiunt, et quod omnes tandem sciunt, agnoscunt, cognoscunt, eloquuntur, enuntiant, cum aliis communicare possunt et communicant, et cujus viam et ordinem, quem ingressi sunt, indicare queunt, omnibus commune est et commune reddi potest, ideoque ut objectivum considerari atque exhiberi. Per hasce organi lineas sive lineamenta concordiae, pacis, fraterni amoris vinculum sc. aedificii ecclesiae, si Domino probetur, structura quodammodo, quantum a me sit, injungatur et connectatur, velim, et com-

mune gaudium gratiarumque actio Deo in ejus gloriam habenda excitetur, promoveatur!

Librum latino composui sermone, quia argumentum majori vulgarium Christianorum numero vernacula lingua conscriptum nondum aptum existimavi. Si qua autem dictionis vitia irrepserint, et in fine primae hujus opusculi partis, cui autem, D. V., secunda succedet, nimis longi et compacti articuli sive ejusmodi periodi occurrerint, viro sexaginta et novem annos nato venia dabitur.

Materia, quam tractavi, ipsam styli variationem maxima ex parte non admisit. Negotium, quod suscepi, lectores humanissimi, benignissime respiciatis, oro atque rogo.

Scripsi Tubingae anno MDCCCXXXVI., mensis Febr. d. XXV.

Axiomatis loco haec propositio non temere praesumitur:

„*Scriptura sacra* θεόπνευστος *est.*"

Quae quippe sententia demonstrari potest, atque antea quidem demonstranda erat; verum ab aliis illustribus scriptoribus rite demonstrata, ex meo instituto hujus opusculi lectoribus persuasissima et certissima supponitur. Ex illa autem sic enuntiata veritate sequitur, scripturae sacrae sive ejus dictis et narrationibus omnem obedientiam et fidem praestandam esse, praecipue et nominatim enuntiatis:

a) de uno Deo, vero veraci, vivo, Jehova, Patre, coeli et terrae creatore et gubernatore,

b) de conversione ad hunc Deum, poenitentia et resipiscentia,

c) de fide, Deo habenda,

d) de fide, Jesu Nazareno, ejus personae, historiae, doctrinae, actae vitae, Messiae, Christo promisso, in hac terra conspicuo facto, redemtori generis humani, divino doctori ex coelis a Deo Patre misso, prophetae, sacerdoti, regi, consolatori, conciliatori, Domino, resuscitatori, judici et salvatori in vitam aeternam, praestanda,

e) de justitia Dei, in primis v. e. secundum dicta Rom. III. 21—26. IV. 22—25. Matth. XI. 28—30. XVI. 13—18. Joh. X. 32—38. V. 38—47. 2 Timoth. III. 15—16. 2 Cor. V. 18—21. Ebr. IX. 27—28. 1 Joh. V. 1—21.

f) de vita pia, scripturae sacrae accommodate et religiosissime instituenda,

g) de precibus ad Dominum et Deum assidue fundendis,

h) de recto sacramentorum usu et usu fructu,

i) de cultu religioso publico et domestico,

k) de legendis cum fide et studio et desiderio sacris literis, iisque corde volvendis, contemplandis, indagandis.

Quibus praemissis explicationis ergo atque usus nonnulla modo, quae maxime necessaria videntur, subjungo:

De illa quippe obedientia, quae omni tempore accuratissime observanda est et cujus semper conscii esse debemus, obedientia fidei, apostoli Jesu Christi mentionem fecerunt, ex. gr. Paulus in epistola ad Rom. cap. I. 5. et 1 Petri I. 2. 22.

Fides ipsa obedientia dicitur et re vera est, coll. Joh. c. III. 36.

Fides unius Dei Jehovae, Patris, et fides erga Filium Dei, quam veteris testamenti et novi scripta inprimis inculcant et docent, firmo et sincero corde tenenda et colenda est.

Ad conversionem ad Deum, poenitentiam et resipiscentiam hae notae pertinent: conscientia (das Bewußtseyn) male factorum, cogitatorum et sensorum, quae in nobis deprehenduntur, et *serium*, *verum*, *sincerum* emendationis et a reatu peccatorum ipsisque peccatis eorumque imperio liberationis sive salutis sive justitiae *desiderium*, *id quod desiderium prima, primaria* et *maxime necessaria conditio et proprietas* ejus est et esse debet, qui salvari, veniam peccatorum nancisci, gratiae divinae particeps et compos reddi et emendari vult, religiose adhibeatur, exerceatur, continuetur, colatur. Poenitentia nunquam cessare debet, quam diu nobis de peccatorum venia, itaque de gratia Dei singulari, initio tantum ex obedientia fidei erga veritatem scripturae sacrae, postea ex claris argumentis persuasio non contingat. Poenitentiam et resipiscentiam pariter atque hanc persuasionem per totam vitam, quam in carne peccatores degimus, agamus, eoque magis perfectioni et emendationi studeamus; quare haec poenitentia quovis tempore continuanda, exercenda, adhibenda est. Inprimis ea ex morte Filii Dei cruenta, innocenti, sancta, exemplari originem ducat. Poenitens et resipiscens peccata dolet, aversatur, abjicit, fugit, corrigit, recte facta, virtutes, pietatem, probitatem, *εὐλαβειαν*, *εὐσεβειαν*, amorem sibi comparare studet; vitia coram Deo, in quem peccavit, et in certis casibus coram hominibus verbis

et actionibus agnoscit, profitetur, emendationem serio promittit, ostendit, vota ejus acquirendae supplex et humilis ad Deum, Patrem, continuo facit, ab eo auxilium petit, refugium, solatium et medicinam in sancto a Christo effuso sanguine et in fide hujus sanguinis fundatam et oblatam quaerit sibique vindicat. Poenitens suam male factorum conscientiam et Dei, judicis, sententiam de se olim ferendam quam maxime metuit. Ob illam mortem, quam Dei filius subiit, cordis compunctio, admiratio, pudor, modestia, timor, abstinentia a malis adpetitibus, adfectibus, cupiditatibus, voluptatibus, malis moribus et consuetudinibus, et vitae hucusque male actae correctio oriuntur, atque obsequium erga omnia evangelii divinae gratiae et fidei et pacis praecepta et gratitudo enascitur. Scripta veteris et novi foederis postulant et commendant fidem et fiduciam in Jehova, Deo uno et Domino et simul in unigeniti filii Dei, Jesu Christi persona, operibus, factis, miraculis, narrationibus, doctrina, morte, resuscitatione e mortuis, abitu in coelum, effusione promissi Spiritus sancti de coelo, et nominatim etiam in Deo, qui Jesum, Dominum nostrum, e defunctis excitavit, quippe qui ob nostra peccata morti traditus et ob nostram absolutionem et justificationem sit resuscitatus, collocandam, quo a Deo nobis ad exemplum Abrahami et secundum doctrinam et promissum Dei atque efficacem voluntatem haec fides et fiducia justitiae imputetur, adscribatur, vindicetur, coll. Rom. IV, 22—25.

Sensus poenitentiae, quotidiana exploratio status cordis et conditionis et nostrae vivendi rationis collatae dictamini scripturae et nostrae conscientiae (Gewissen), atque examen, quod saepissime et serio et sincere, neutri parti addicte, a nobis instituendum est; frequens imploratio auxilii Dei et precatio cum illa fide simul conjungantur, ex qua virtute et actione justificatio seu justitia Dei proficiscitur; ex quo demum intelligitur et sentitur, paulatim et magis magisque nos a culpa nostrorum peccatorum et a metu malae conscientiae, divini judicii, nostrae condemnationis, et ab accusatione adversarii, *κατηγορου*, liberos atque absolutos declarari, nobisque veniam peccatorum, et singularem gratiam Dei propter Christi mortem expiatoriam impertiri, nobisque persuasionem de hac gratia pedetentim adpropriari et vindicari (Rom. VIII, 33, 34. Joh. II. 12, ss.); unde cordis solatium et *nova* fides et fiducia existunt, *seriusque* observatur et animadvertitur, Dominum nostrum et Deum vere justos nos declarare et reddere (Rom. II, 21—26.), nosque justitiae (innocentiae, immunitatis a peccatis, cupiditatibus et voluptatibus malisque adfectibus) et amoris Dei participes reddi (quippe quae Deus enuntiat, vult, promittit, etiam fiunt), atque *sensim sensim* ulteriores notiones et virtutes divinae illuminationis, regenerationis, justitiae (*δικαιοσυνης* et *οσιοτητος*) nobis patefieri.

Praeterea observatur, constanti et fideli usu illorum et omnium ceterorum conjunctorum subsidio-

rum *magis magisque, sensim sensimque,* longiori vel breviori tempore illam enatam fidem, robur, vim, constantiamque capere, excitare, imo perspicuitatem et incrementum capere, et excitare et conciliare, sc. Deum et verbum divinum ope divinitus datorum praeceptorum et strenui et fidelis applicationis et vindicationis auxilio spiritus sancti et cooperatione verissimum esse, unde illi fructus proveniant. Neque igitur mirum est, Dominum nostrum Jesum Christum de fructu aut centesimo aut sexagesimo aut trigesimo, qui ex usu verbi divini edatur, locutum esse Matth. XIV. 8., et Apostolum de fide roborata, firmata, quam maxime supra modum crescente etc. scripsisse, Rom. IV, 20. 2 Thess. I, 3.

Pariter vita pia, casta, pura, sancta, contra peccati et cupiditatum illecebras sese exercens et assuescens, et ob sacram Christi mortem ad ejusque exemplum luctans, sacrae scripturae accommodate, religiosissime, accuratissime, strenue, perseveranter, fideliter instituenda, peragenda est.

Ejusmodi vita quidem notione poenitentiae comprehenditur, sed hoc loco aliquot verba adjicere oportet. Quicunque enim huic studio et operae deest, omni consilio et scopo fidei acquirendae, servandae, augmentandae certissime excidit. Opus et officium poenitentiae regulam designatam continet et perscribit, et praesertim monendum est, nos tantummodo pia vivendi ratione ad Dei bene placitum et gratiam et coope-

rationem praeparari et aptos reddi, quoniam Dominus iis modo appropinquat, qui ei appropinquant eique se similes reddere student, et vita, quam pie agimus, ad pleniorem sacrae scripturae cognitionem et vivendi rationem et probitatem perducit, quam regeneratio requirit et gignit; ita ut demum omnis generis abstinentia, abnegatio, cordis deditio, cognitio Christi et Dei ejusque voluntatis et ipsius Christi consortium et communio cum eo adpareant et perficiantur. — Quibus prius laudatis regulis observandis, quas scriptura sacra commendat, intime conjungendae sunt preces ad Deum, assidue et indefesso pro nostra ipsorum aliorumque salute, emendatione, sanctificatione, illuminatione, regeneratione fundendae, corde a scelere puro, et pudore ac timore affecto (Matth. XXVII. 54. Luc. XXIII. 48. Act. II. 37. 38.). Preces corde supplici, humili, poenitente, contrito, benevolo, ardente, sincero, a mendaciis et fraudibus, hypocrisi, simulatione, dissimulatione, malis adpetitibus, adfectibus, consuetudinibus, levitate, incuria alieno itemque grato et fide in Christi merito collocata, ad sapientissimam Dei voluntatem respiciente, spem in Deo, qui *unus sanctus* est, atque ex quo unice sanctitas profluit et profluat, ponente, ἁπλως, *ἐν ὀνοματι τȣ Ἰησȣ Χριςȣ, υἱȣ τȣ Θεȣ*, quae expressio multa maximi argumenti breviter designat, habendae sunt. Quae omnino praedicata precum sive proprietates gradus admittunt et ineunt, de quibus serius et prolixius dicendum est. Ad Deum a nobis omnia

erferenda sunt. Ex eo atque ab eo sumus, originem ducimus, in eo existimus, ab eo pendemus, in eo movemur, Act. XVII. 28. Sine eo ejusque influxu et adjumento nos beati neque sumus neque reddimur. In ejus potestate sumus. Quamvis nobis libertas bonum eligendi et retinendi data etiamnum reliqua sit, ad eum tamen referenda est et ab eo conservatur et adjuvatur, quippe qui omnia in omnibus, praesertim in iis hominibus, qui ipsius similes fiunt, operatur, iisque ad scopum persequendum et perficiendum cooperatur. Iis, qui eum quaerunt, remunerator est invisibilis, aeternus. In filio visibilem se reddidit, in suo filio, virtutem ipsius referente. Deus probitas, justitia, misericordia, gratia, pax, amor est, quem nos cognoscere oportet, cujus igitur cognitionem discere nos oportet, quippe qui alia via eum neque reperiemus, neque detegemus, neque ejus similes reddemur. In ejus consortium nullatenus venire possumus, nisi pia vita et precibus perseveranter ad Deum fundendis, item fide verbo, quod nobis revelavit et pro verissimo a nobis suscipiendum est, seu ei ipsi habenda. Vult, ut nos etiam ipsi sui servi, filii et heredes evadamus. Proinde preces tam quovis, quam certo tempore publice, communiter et privatim, in aperto et occulto ad Deum a nobis habendae et continuandae sunt, quamquam difficile, molestum et injucundum hoc negotium vel per longum temporis spatium nobis esse videa-

tur, quo ad consuetudinem, familiaritatem, vicinitatem, gratiam, *cognitionem Dei pedetentim et magis magisque perveniamus et transponamur*, et ille ipse serius ocius suam veritatem, existentiam, omniscientiam, omnipraesentiam, adpropinquationem, benevolentiam, veracitatem, retributionem nobis ostendat et comprobet. Precibus etiam quovis tempore fide in Christum crucifixum fundendis, ad obtinendum, servandum amplius, clarius, copiosius Spiritum sanctum ejusque auxilium, cooperationem, adjumentum inter legendam et contemplandam sacram scripturam, quae ipsa Spiritus Sancti est et ipsa Spiritus Sanctus, cujus spiritus (außerordentliche Gesinnung aus der Thatsache des Versöhnungs-Todes Jesu Christi Rom. VIII. 3.) cognitio, incitamenta et motus nobis eveniunt, opus est. Hae preces autem factae cordi praesentes sint, maneant, pergant, perdurent. —

Quotidiana animadversorum donorum et divinarum promissionum pariter atque instaurationis et renovationis foederis, quod baptismo inivimus, recordatio, quam maxime necessaria est. Magna sunt dona, quibus Dominus ac Deus vi baptismi et usu sacrae coenae nos ornat, magna officia, quae nos inde suscepimus. Fidelis igitur et frequens sacrae coenae usus pariter ac baptismi recordatio magnam vim divinam, significationem, efficaciam et cognitionem perhibent, proferunt. Ne nos itaque haec instituta, haec sacramenta ex mera consuetudine vel alieno consilio et cordis motivo co-

lamus. Fides et amor erga Dominum et Deum et mutua erga fratres benevolentia, interna et externa pax, spes vitae aeternae, consuetudo et familiaritas cum Deo, gratiarum actiones pro salute nobis oborta et impertita erga Deum et Filium, redemtorem et salvatorem, sensa et sensus varii optimique generis, cognitio Dei Patris et Flii iis excitantur, fundantur, firmantur.

Publicus et privatus, domesticus et internus cultus religiosus nobis praescriptus est, v. c. Matth. XVIII. 20. Ebr. X. 24 ss. 1 Corinth. XI. 33. 34., isque in occulto, corde, respectu ad ens summum morale, perfectum, invisibile, Deum, Patrem, exercendus est. Publice quovis tempore, quo fieri possit, Christiani invicem conveniant, communi loco se congregent, coram Deo adpareant, eum adorent, colant, sese ad amorem et Dei cultum mutuo verbis, orationibus, cantionibus, exemplis, factis excitent et nova sibi incitamenta ad amorem Dei et cultum et cognitionem et gratiarum actionem et ad divinae voluntatis exercitium, quemadmodum ille cultus in coelo praestetur, acquirant. Qui cultus conspicuum signum nostrae voluntatis est, Deo placendi, eum venerandi, celebrandi, nos emendandi atque aedificandi. Permanens sit necesse est, adversariorum opiniones praejudicatas vel opprobria minime timens, nos societati, coetui, consortio cum vivis et defunctis fratribus geniisque coelestibus aptiores reddens; itemque via est progrediendi ad perfectionem atque aedificationem.

His intime unitis et conjunctis sincerrimo et maxime serio perfectionis, sanctificationis, salutis studio uniendis et conjungendis et adplicandis regulis ac praeceptis accuratissime observandis adjungenda, coadunanda denique sunt sacrae scripturae et ejus verborum, notionum, sententiarum, veritatum maxime seria, religiosissima (vide Joann. V. 39. Luc. II. 19.) attentio, indagatio, contemplatio, meditatio, intensio, deliberatio, omnium rite detectorum argumentorum animadversio, assidua asservatio, receptio, recapitulatio, repetitio, reassumptio, reflexio, applicatio, recreatio, refocillatio (2 Timoth. I. 6.) fidelisque et nova continuataque acquisitorum argumentorum inquisitio, adjuvante reminiscentia et cognitione linguarum veterum, maxime graecae et ebraicae, grammaticae, hermeneuticae, exegeticae, logicae, philosophiae, historiae profanae, sacrae et ecclesiasticae, historiae dogmatum et doctrinae moralis christianae; ex quo duntaxat patet, acquisitas notiones, veritates *iterum iterum* corde considerandas, volvendas, reputandas, retinendas, repetendas esse; qua ratione *novae* notiones, veritates, cognitiones, *novi* gradus, novae artes et exercitia ususque inventionis *pedetentim* oriuntur. Quemadmodum etiam inter legendam scripturam sacram continua precatione opus est, ita inter precationem assidua meditatio et contemplatio conjuncta cum sincera illuminationis spe necessaria est suosque edit fructus et successus. Ex fidei quidem

obedientia in scriptura sacra et nominatim in dictis de expiatoria morte Christi supra laudatis collocata, et obsequio praeceptorum, quae scriptura sacra commendat, primum persuasio *quaedam* de venia homini peccatori ob Christi mortem impetrata et de gratia Dei singulari annuntiata et oblata, itemque *persuasio* de Jesu Nazareno, utpote Christo, Filio Dei unigenito, redemtore generis humani et promisso Messia, qui in mundum venerit, *certum quoddam* cordis *solatium* et *gaudium, certa quaedam* pax interna coram Deo, sancto judice, deinde *fiducia* et *spes* Deo habenda, post brevius aut longius temporis spatium *magis magisque* oboriuntur, et posteriori tempore magis magisque, servata et continuata fide et praescriptorum praeceptorum diutiori usu religiosissimo *persuasio, convictio* et *cognitio clara, magis clara, clarior, magis hoc clariori clarior,* etc. etc., *certa, magis certa,* certior, magis hoc certior etc. etc., *firma, magis firma,* firmior, magis hoc firmior etc. etc., *vera, magis vera,* verior, magis hoc verior etc. etc., *plena, magis plena,* plenior, magis hoc plenior etc. etc., *vivida, magis vivida,* vividior, magis hoc vividior etc. etc. (superlativi autem non dantur ob infinitum cultoris Christi provectum et progressum, nisi pro certo temporis spatio relative sumantur), existit atque evadit, praesertim inde ab illo tempore, quo ad *cordis cognitionem Jesu Christi, redemtoris ejusque veritatis* pervenerimus. Distinguendum est inter

hanc, illam persuasionem, convictionem et cognitionem. Ceterum hoc opusculo sub cognitione cognitionem novi Testamenti de Jesu Christo ejusque veritate et fide inprimis intelligimus, quae *cordis cognitio* simul in cordis sensa et motus, sensoria et facultates influit, seu *viva Dei et Christi cognitio* evadit. Confer scripturam sacram et Jo. CASPARI SUICERI Lexicon graeco latinum ad vocem γινωσκω ejusque thesaurum ecclesiasticum; cui etiamnum adponere liceat, illam cognitionem gratiam, misericordiam, pacem atque amorem Dei Patris et Filii unigeniti, Salvatoris nostri et Domini erga nos continere, involvere, monstrare, secum ferre et multiplicare et augere. Confer etiam 1 Petr. I. 2. et omnia dicta Apostolorum salutatoria, quae invicem comparanda sunt.

Proinde igitur nonnulla de corde disserere idque aliquantisper prolixius describere oportet. Neque enim vox „animus“ bene quidem romana, neque vox „mens,“ quae plures significationes comprehendit, meo usui et instituto respondent. Francogalli ipsa voce „coeur“ (cor, καρδια) recte utuntur; curne et nos eadem voce utamur? Scriptura sacra hanc vocem quam maxime advertit, ex. c. „ἐκ καρδιας ἐξερχονται διαλογισμοι πονηροι, φονοι, μοιχειαι, πορνειαι, κλοπαι, ψευδομαρτυριαι, βλασφημιαι,“ Matth. XV. 19. „το ἐσπαρμενον ἐν τῃ καρδιᾳ αὐτȣ, XIII. 19. Confer Luc. VIII. 15. Cor hominis interior, imo intima hominis pars, substantia est. Ἐν τῃ καρδιᾳ της γης Matth. XII, 40.

denotat intra terram, quasi in ejus medulla, et profundo: „עד לב השמים Deut. IV, 11. ad medium coelum sive aërem, ונתתי לכם לב חדש etc. etc. Ezechiel XXXVI. 26 etc. etc. רוח חדשה Joh. Henr. Michaelis in commentario ad hunc locum ita dicit: „Daboque vobis per regenerationem et renovationem (Hieronymus): *cor* novum, ut crederent in filium Dei et *Spiritum novum*. Item Michaelis: cor in scriptura significat ipsam animam, praecipue voluntatem. Spiritus significat motum ac pulsum, quo quis ad aliquid agendum incitatur.“ Verus homo ex corde hujusque cogitandi, sentiendi agendique rationibus et conditionibus neque tantummodo ex suo ingenio, intellectu, ratione (Vernunft), memoria, imaginatione cognoscitur et aestimatur. Indoles autem cordis et conditio vel status hominis pretium et perfectionis aut imperfectionis hominis gradum innuit, constituit et admittit.

Cor receptaculi, promptuarii, thesauri, choricordii instar est, quo cogitata, sensa, inclinationes, appetitus, adfectus, vel temperamenta sic dicta, consilia agendi, motiva, decreta suscipiuntur, recipiuntur, colliguntur, foventur, insonant, resonant, formantur, colliguntur, perficiuntur. Cor corpori et coetui simile est, cujus partes, membra sunt ratio, ingenium, intellectus, sensualitas, sensus, voluntas, conscientia, memoria, imaginatio, quorum uno membro neglecto (confer: v. c. 1 Cor. XII. 12. 22. 26.), etiam cetera omnia membra jacturam faciunt. Omnia

simul igitur aeque harmonice et apte tractanda, servanda, efformanda, excolenda sunt (memoria atque imaginatio item cordis sunt quasi membra ministra, administrativa, subsidiaria, auxiliaria, auxiliativa). Cor oculo simile est, qui pro sua indole totum hominem aut luce ornat, aut magis vel minus tenebris obruit, Matth. VI, 22. 23.

Cor capiti, principi, regi simile est, ex quo membra pendeant, cui subsint. Cor regiae, regio aedificio, palatio comparare liceat, cujus contiguae alae intellectus, sensualitas, voluntas sunt, ipsum media pars est. Vox „cor" in sacra scriptura occurrens, latiori sensu vel communi, minime strictiori vel singulari accipienda est. Cor ens est subjectum individuum, vel individuale et hypostaticum (ſelbſtſtändig), neque tantum aliquam hominis proprietatem, verum *totum* hominem innuit et significat. Cor ens morale est, gaudet facultate eligendi id, quod aut bonum aut malum ei videatur vel sit.

Ad bonum eligendum a Deo sapiente creatum est. Ei officium eligendi bonum incumbit; imputationi subest.

Cor hominem talem, qualis est, exhibet, repraesentat. Cor verus est homo, et verum hominem, qualis et sensualis et spiritualis est, constituit.

Cor hominis igitur homo est. Cordi facultas cognitiva, dijudicativa, voluntativa, conjunctiva, disjunctiva, resumtiva, contemplativa inest; inseparabili ra-

tione ex sensualitate, intellectu, voluntate et conscientia (Gewissen und Bewußtseyn) una cum reminiscentia et imaginatione constat. Cor et renes idem significant, Jer. XVII. 10. Coll. III, 12. Quum de te loqueris, de tuo corde, de te ipso, utpotente morali sermonem facis. In corde nullum illarum facultatum et virtutum datur spatium disjunctivum et separatum, et cognitio cordis christiana utroque sensu quatenus et cognitio per se est, et quatenus cognitio cum sensu v. c. amoris conjuncta est, accipienda, quae decrementi, accrementi, perfectionis capax et compos est.

Soli intellectui cordis nonnisi ope et dictamine religionis christianae revelatae subvenire, imo hominis vel cordis intellectum vel potius *cor* absque hac religione vere et perfecte sapiens reddere non vales. Clara denique cordis cognitio *vivida* fieri potest et debet, quae sola et vera et recta cognitio est.

Minime ope rationis, sed cordis organo et obedientia erga Jesu Christi verba revelata Deo fidimus, confidimus eumque amamus.

„Ἀει πλανωνται τῃ καρδιᾳ· αὐτοι δε ουκ ἐγνωσαν τας ὁδȣς μȣ· βλεπετε ἀδελφοι, μηποτε ἐσται ἐν τινι ὑμων καρδια πονηρα ἀπιςιας, ἐν τῳ ἀποςηναι ἀπο Θεȣ ζωντος, Ebr. III. 10. 12.

Brevi, cor, subjectum individuum, ens morale, hypostaticum (selbstständiges), non modo qua hominis partem tantum, sed qua totum et verum hominem cogitare et considerare et excolere oportet.

Verum enim vero prodolor! in corde a Deo ter Optimo Maximo, Jehova et Domino, uno vero Deo, non creato et perfecto, in corde hoc, inquam, optime condito deprehenduntur inde ab Adami, primi hominis, lapsu conspicua multa et varia vitia et defectus, v. c. inobedientia fidei in Deum ejusque voluntatem, arrogantia, superbia, metus malae conscientiae, mortis, pulchri et boni incuria et oblivio proprii verique sui ipsius commodi, boni et veri Dei ejusque cultus negligentia, Dei et officiorum ac virtutis inscitia et ignorantia, intellectus et boni sensus cordis segnities, in vetitum nisus, malae propensiones, inclinationes, adfectiones, bonae conscientiae laesiones, vitiosae et exorbitantes imaginationes, concupiscentiae, transgressiones divinarum et humanarum legum, peccata multifarii generis. Cor divaricatum, praevaricatum, perversum evasit, neque ei insunt clara, certa, firma veri veracisque Dei cognitio, Dei amor, respectus ad alios, studiumque amoris erga amicos, omnes homines vel inimicos, constantia et fides in quavis re bona atque honesta, firma voluntas et agendi ratio, sinceritas, pax cujusque generis, sanctimonia, sanctitas, sanctificatio, perfectio et vera et religiosa pulchri bonique accrescentia. Cor nunc sua natura infirmum, invalidum, debile est, a Deo abalienatum, languescens, diffidens, dubitans, infidum, infidele, carnale, superstitiosum, superbum, luxuriosum, leve, sterile, mortuum..

Nihilominus non diffiteor, sed potius adfirmans repeto, cordi etiamnum multum boni inde a creatione accepti et praesertim etiamnum liberum arbitrium, libertatemque eligendi inter id, quod bonum et id, quod malum sit, idque aliquantisper peragendi, et hypostasin (Selbstständigkeit) quippe Deo auctore, adjuvante et prospiciente concessam, remansisse.

Ita autem remediis seu subsidiis ex sacra scriptura descriptis et allegatis, statuitur, ex eorum strenuo et religioso usu et nominatim ex obedientia fidei in Jesu Christi morte expiatoria collocanda, citius, serius, post brevius vel longius tempus cordi primum fructus provenire: „*divinae veniae* peccatorum nostrorum, sine qua nulla salus, nullus fructus, nullus proventus est, (illa autem venia Dei cordi initio parum cognita est), certi alicujus solatii, gaudii, pacis, fidei et fiduciae in Deum, cognitionis *cujusdam certae* et *firmae*, postea *certae*, *certioris* et firmioris etc. etc. Filii Dei, Jesu Christi et Dei, Patris gratiosi, unius veri et veracis (etiamsi de gradibus fidei, quae iterum arboris instar augmenta, accrescentiam, ramos, fructus profert, et quae *veros*, magis magis veriores, certiores, firmiores, utiliores, fertiliores, suaviores, leniores, molliores, fortiores, confortantiores, validiores, potentiores, humiliores, altiores, sapientiores, vividiores, salubriores etc etc. gradus ante vel una cum persuasione seu cognitione suscipit et producit, etiam meo opere sermonem facere luberet); de

cujus (cognitionis Filii Dei, Jesu Christi et Dei) gradibus sanctificationis et perfectionis documenti gratia hocce libro praesertim sermo est. Hujus autem cognitionis, de qua hic dicere praesto et in promptu est, *progressus*, quoad conditiones, rationes, argumenta, proprietates, qualitates, quantitatem seu numerum, intensivitatem vel extensivitatem, pretium seu momentum, objectum, contemplationem, interpretationem, praedicatum, genus, speciem, fontem, originem, causam et effectum, cordis motum et pulsum (ubi ex. gr., quando ad cognitionem Jesu Christi *vivam* perventum est, observare oportet, de *illa* cognitione sermonem esse, quatenus cor *conscie* et *distincte* movetur, pulsatur, moeret, suspirat, plorabundum est, etc. etc., itemque gradus commotionis, mutationis detegit atque animadvertit et explicat, neque tantum de corde hilari, moerente, sed de cordis *cognitione* Dei et Jesu Christi *viva* eaque aut hilari aut moerente etc. etc., ejusque cognitionis vivae et certis, distinctis, juste explicandis, non obscuris, putatis, opinatis, fictis, falsis, sed rite cogitatis gradibus agitur), *progressus*, inquam, brevibus modo verbis significaturus sum et nuncupaturus v. c., gradum cognitionis magnum, magis majorem quam hunc (priorem), novum, noviorem, magis noviorem, magis magis noviorem etc. etc., certum, certiorem, magis certiorem, magis magis certiorem, etc. etc. firmum, firmiorem, magis firmiorem, magis magis firmiorem, etc. etc.; (lux enim

sensim sensimque illucet et collustrat et calefacit), ita ut (id, quod jam prius adnotavi), superlativus vel summus gradus nunquam locum in corde obtineat. Omnes autem illi gradus religioso laudatorum subsidiorum usu mihi seu cordi meo obvenerunt et vel viva voce vel charta scripta argumentis, observationibus et experientiis, exemplis comprobare possum, et si desideretur, in posterum amplius significabo et comprobabo.

Datur igitur *illius vivae cognitionis* gradus novus, novior, magis novior, magis novior illo anteriori, clarus (claritatis) clarior, magis clarior, magis clarior illo etc. etc., lucidus, lucidior, magis lucidior illo etc. etc., (evidentiae), evidens, evidentior, magis evidentior, magis evidentior, quam hic etc. etc., perspicax, perspicaciae, majoris perspicaciae, magis majoris perspicaciae, quam hic etc. etc., penetrans, penetrantior, magis penetrantior hoc gradu etc. etc.

indagans, (indagationis), m., m., etc. etc.
consequens, consequentiae, m., m., etc. etc.

conjungens	m.,	m.,	etc.	etc.
compactus	„	„	„	„
colligens	„	„	„	„
comparans	„	„	„	„
disjungens	„	„	„	„
distinguens	„	„	„	„
distinctus	„	„	„	„

contemplans	m.	m.	etc.	etc.
meditans	„	„	„	„
comprobans	„	„	„	„
auctus	„	„	„	„

expansus, extensus m. m. etc. etc.

rectus	m.	m.	etc.	etc.
adaequatus	„	„	„	„
justus	„	„	„	„
amplus	„	„	„	„
profusus	„	„	„	„
altus	„	„	„	„
sublimis	„	„	„	„
profundus	„	„	„	„
simplex	„	„	„	„
multiplex	„	„	„	„
compositus	„	„	„	„
purus	„	„	„	„
plenus	„	„	„	„
praestans	„	„	„	„
excellens	„	„	„	„
largus	„	„	„	„
intensus	„	„	„	„
fortis	„	„	„	„
confortans	„	„	„	„
serius	„	„	„	„
strenuus	„	„	„	„
tenax	„	„	„	„
paratus	„	„	„	„

reminiscens m. m. etc. etc.
generalis „ „ „ „
specialis „ „ „ „
bonus „ „ „ „
pulcher „ „ „ „
necessarius „ „ „ „
utilis „ „ „ „
gravis „ „ „ „
pretii, momenti m. m. etc. etc.
impellens m. m. etc. etc.
energicus „ „ „ „
vividus, vivax, vivus m. m. etc. etc.
calidus m. m. etc. etc.
fervidus „ „ „ „
efficax „ „ „ „
vehemens „ „ „ „
ardens, flagrans m. m. etc. etc.
illuminatus m. m. etc. etc.
spiritualis „ „ „ „
movens „ „ „ „
commotus „ „ „ „
fertilis „ „ „ „
fructuosus „ „ „ „
aedificans „ „ „ „
sensibilis „ „ „ „
sensifer „ „ „ „
dolens „ „ „ „
moerens „ „ „ „

suspirans	m.	m.	etc.	etc.
plorans	”	”	”	”
plorabundus	”	”	”	”
clamans	”	”	”	”
hilaris	”	”	”	”
serenus	”	”	”	”
fidens	”	”	”	”
sperans	”	”	”	”
amans	”	”	”	”
consors	”	”	”	”
filialis	”	”	”	”
cordialis	”	”	”	”
regeneratus	”	”	”	”
demissus	”	”	”	”
poenitens	”	”	”	”
cumpunctus	”	”	”	”
gratus, gratulans	m.	m.	etc.	etc.
tenuis	m.	m.	etc.	etc.
tener	”	”	”	”
mollis	”	”	”	”
suavis	”	”	”	”
dulcis	”	”	”	”
mobilis	”	”	”	”
liber	”	”	”	”
liberalis	”	”	”	”
indnlgens	”	”	”	”
lenis	”	”	”	”
temperans	”	”	”	”

acquiescens m. m. etc. etc.
placidus „ „ „ „
pacificus „ „ „ „

cum aliis connexis gradibus, de quibus rationem reddere possum, et qualibet occasione, aut cum aliis conjuncti, in posterum etiamnum redditurus sum, qui interea cordi adhuc nondum obvenerint, sed verisimiliter obvenient. Constat, multum ad perfectionem conferre, ubi notiones veritatis multiplicantur et verbis exprimuntur. Concedo, significata cognitionis Jesu Christi et Dei, Patris, praedicata sive potius supra indicatos gradus in meliorem ordinem redigi posse, etiamsi prout observationes atque experientiae cordi sese perhibuerint, illos gradus potius indicaverim.

Ejusmodi etiam gradus et provectus aeque de toto statu cordis et ejus facultatibus et singulis christiani cordis virtutibus significari et enuntiari queunt, quemadmodum v.c. gradus (qui etiamtum fructus verum saepe minus clare vocari solent), fidei et spei et amoris, precationis, sanctificationis etc. etc., magna incrementa capiunt, quae tamen, quantumvis a multis apud se animadvertantur, non ita tamen, nec quam praestaret, distincte enuntiantur nec explicantur. Verum enim vero confirmare licet, multum cuique lucri adferri, ubi non modo de existentia novae gradationis et perfectionis sive omnino de clarioribus, firmioribus etc. etc., notionum et repraesentationum et nostrorum sensorum et cogitatorum, quae in corde existunt, cer-

tis gradibus cordi persuasum est, sed ubi etiam nos illos gradus cum suis argumentis et motivis in corde distincte deprehendere possumus et eadem ratione verbis exprimere; quo facto et propria nostra perfectio et aliorum aedificatio in dies magis magisque amplius progredietur et promovebitur. De Jesu Christi ejusque fidei cognitione illiusque gradibus praesertim eo locutus sum, quod ipse ego via designata primum sensim sensimque ad illam cognitionem ejusque gradus et incrementa pervenerim; ex ea quippe *tot tantique* gradus, virtutes, cognitiones, veritates, doctrinae, vires, praecepta et regulae proveniunt, et singularis, et immensa Dei, Patris, et Filii, Salvatoris et Domini nostri misericordia, gratia, pax atque amor elucescunt, patefiunt, manifestantur, impertiuntur, augentur, atque in ista cognitione omnis nostra salus, vita eaque aeterna, sita est et data, id, quod apostoli laudant, v. c.

„Χαρις ὑμιν και εἰρηνη πλυθυνθειη ἐν ἐπιγνωσει τȣ θεȣ, και Ἰησȣ τȣ κυριȣ ἡμων."

„Ὡς παντα ἡμιν της θειας δυναμεως αὐτȣ τα προς ζωην και εὐσεβειαν δεδωρημενης, δια της ἐπιγνωσεως τȣ καλεσαντος ἡμας δια δοξης και ἀρετης, κ. τ. λ. 2 Petr. I. 1. 2 ss. „αὐτη δε ἐςιν ἡ αἰωνιος ζωη, ἱνα γινωσκωσι σε τον μονον ἀληθινον θεον, και ὁν ἀπεςειλας, Ἰησȣν Χριςον." Johann. XVII. 3.

Jam quaedam de persuasione, convictione, cognitione et conscientia (dem Bewußtseyn) illarum vir-

tutum et certitudine ejusdemque cognitione plura dicenda erant; verum paucula dicere licet. Persuasio, convictio, cognitio, conscientia et certitudo, et cognitio certitudinis et conscientiae certitudinis, quae omnes item gradus admittunt et capiunt, duntaxat inter se valde differunt, et persuasio et convictio v. c. saepe cognitionem praecedunt, saepe cognitio persuasionem et convictionem, prout argumenta et rationes, remediorum usu infido aut fido et attento clare et distincte aut minus clare et distincte occurrunt et animadvertuntur et observantur. Vivida, viva Jesu Christi et Dei Patris veri et veracis cognitio plerumque persuasionem, convictionem modo demum sequitur, attamen cardo, caput et (quasi, ut ita dicam) summa est, atque ex ea iterum *nova* illa fides Christi, spes et amor Dei et omnium hominum enascuntur et manifestantur. Conscientia (das Bewußtseyn) cujusvis christianae cognitionis (quae magnum certitudinis gradum innuit et largitur), praecipue illius cognitionis de Jesu Christo, omnibus argumentis et rationibus distincte cogitatis et sensis nixae, solatio christiani et gaudio et vitae pulchram et singularem coronam imponit.

In primis iterum iterumque observandum est, nobis peccatorum venia Dei et gratia ejusque persuasione et cognitione opus esse, antequam cordis illuminatio et regeneratio clare et distincte et sequantur, et observentur. 1 Joh. 1. II—V. Philipp. III. 8—10.

Ne autem putes, supra enumeratos gradus *eodem*

ordine etiam in tuo corde sese excepturos esse, quippe progressio in singulis Jesu Christi cultoribus a ratione diversarum occasionum, contemplationum, et usus remediorum, et dictorum sacrae scripturae etc. etc. pendet; ceterum certo tibi obvenient et observabuntur.

Neque de certo quodam tempore, quo succurrent, breviori vel longiori, aliquid certi statui potest.

Praeterea observatur certas, eminentes et insignes, praecipuasque *mansiones, sive stationes, sive mira dilucida intervalla et quasi justitia* (Stillstände, quasi Ruhepunkte), quae tamen, quamvis plerumque longioris sint aut brevioris temporis, temporaria sunt et quibus porro religiosus subsidiorum usus adhibendus est, ex. gr. cognitionis Jesu Christi, cognitionis Dei patris, cognitionis ejus voluntatis, cognitionis illius *vivae*, cognitionis fidei in Christum et in Christo *ejusque* fidei, spei, amoris Dei, amoris erga omnes alios, gradus praecipue *impellentes* atque *energici*, etc. etc.; neque tamen ordine et certo quodam tempore designando in nostris provectibus locum habere; de quo iterum plura dicenda et communicanda sunt.

Inter hoc opusculum meditandum, perficiendum et perscribendum centenae et numero plures observationes, animadversiones, veritates, explicationes verbi divini, et regulae simul sese cordi obtulerunt, quas item in fasciculos collegi et conscripsi, suo tempore, si Domino nostro et Deo placuerit! in publicum editurus, utpote v. c.

de vera Jesu Christi existentia ejusque vita, et vita ab eo in hóc terrarum orbe peracta,

de eo, ut Domino,

de conjunctione ejus et communione cum Deo, patre suo, uno, vero et vivo Deo, Jehova, creatore mundi, conservatore, gubernatore;

de Jesu, utpote Filio Dei et hominis,

de vita, quae is ipse est, quae ei inest, et quam suis cultoribus patefacit et cum iis communicat,

de veracitate scripturae sacrae,

de nostra redemtione,

de resuscitatione corporis ex morte,

de fide Christi et Dei ejusque natura, indole, vi, et

de fide in Christum Jesum et in Jesu Christo.

de spe salutis aeternae,

de amore Christi et Dei, Patris, ejusque fonte, fructibus atque omnigenis et omnimodis virtutibus,

de amoris Dei cognitione et nostra communione cum Eo et Patre,

de causa et fonte cruciatus et mortificationis nostrae carnis, etc.

de spiritu, quem scriptura sacra omnino significat et innuit, et

de Spiritu Sancto,

de Deo uno et trino,

de baptismo et sacra coena,

de miraculo et vi resuscitationis Jesu Christi ex morte secundum ep. ad Rom. IV. 24. 25. et Phil. III. 10.

de Christo originali sive Christi persona originali, vivente, exemplari, reali,
de παῤῥησια, quam scripta scripturae sacrae laudant,
de justificatione et justitia Dei,
de pietate ejusque exercitio et fructu et augmento,
de fide eaque vera et salvifica,
de pace Dei et Christi,
de manifestatione Dei Patris et Filii Domini Jesu Christi et inhabitatione et vita ejusque veritate et certitudine,
de illuminatione,
de regeneratione,
de amore Dei et fratrum,
de conscientia (dem Gewissen) et quatenus ad timorem Dei ejusque praeceptorum et amorem et poenitentiam et fidem et ad viam explorationis et meditationis ducit,
de conscientia (dem Bewußtseyn) certitudinis argumentorum et rationum veritatis,
de existentia et veritate tot et tantarum notionum biblicarum, cognitionum, doctrinarum et veritatum,
de libero arbitrio, conditione hominis hypostatica, gratia Dei et efficacia, operatione, cooperatione et influxu Dei et retributione pietatis et amoris,
de vita post mortem et judicio extremo,
de extensiori et progressiva verbi divini interpretatione,
de regulis necessariae, promtae, promtioris et magis

magis promtioris revocationis sive recordationis et reflexionis necessariarum et utilium veritatum, notionum, officiorum et virtutum,

de refocillatione acceptorum et acquisitorum donorum divinorum,

de pretio iterandae, iterum iterumque religiosissime revocandae et recipiendae contemplationis semel et iterum hucusque intellectarum biblicarum veritatum,

de arte, officiis et virtutibus doctoris verbi divini discipulos erudiendi et aedificandi,

etc. etc. etc. etc.

Maxime autem interest, ut nos omnes *ad unam eandemque* fidem atque ad *unam eandemque* cognitionem Filii Dei perveniamus, Eph. IV. 16. 13. 15 et 16.; quae cognitio *viva* seu *cordis*, et fidem et amorem continet et magis magis excitat, cui fides et amor insunt, et conjunguntur, in qua *viva* cognitione omne situm est, ex quaque omnia pendent, quaeque, ut jam diximus, suos gradus et progressus distincte cognitos habet. Quapropter cognitio summa cordis et Dei virtus est. Deus ipse et Christus se nomine *φωτος* adpellant, quae et illucet et collustrat, et calida est et calefacit, Joann. VIII. 12. XII. 35. 1 Joann. I. 5. 7., et nulla alia est ac illa vera et viva cognitio amoris, quae ex vocibus francogallis *„éclaircit" et „échauffe,"* quaeque Deo ipsi inest et ipse Deus est. Cfr. significationem verbi *ἐπιγνωσκειν*, cognoscere *cum* amore, simpliciter et conjunctim cognoscere et amare.

Quibus virtutibus singularibus φωτος et ἐπιγνωσεως (Joh. XII. 35. 36. IX. 5. 1 Joh. I. 5. 7. II ss. 2 Petr. I. 2.) singularibus intelligimus summum intellectum, qui in Deo est et scopum intellectus hominis creati ad sapientiam vel sapientem electionem boni ejusque exercitium diuturnum, aeternum, infinitum. — Quam corruptum autem, perversum, deforme, pulchri bonique et salutis expers, infirmum, inerme, ignorans et inscitium inde a lapsu Adami cor humanum redditum est! Verum enim vero quam perfectibile, *vivae* cognitionis, amoris Dei, et ipsius perfectionis capax est inde a nova creatione ex Deo et Filio Dei, Jesu Christo et ope extraordinariorum remediorum, quibus Dominus et Deus nos instruere, donare et ornare voluit, de novo reddi potest et debet!

Jam vero praeter illam supra saepissime laudatam unam vel conjunctam et unitam, et quam maxime notatu dignum normam ejusmodi aliae variae et ulteriores et progredientes seu producentes significationes, regulae, normae, scalae seu viae ad vivam fidem Dei et Filii Jesu Christi et cognitionem obtinendam, tuendam atque augendam (quemadmodum etiam a fide Christi ad cognitionem et iterum vice versa a cognitione ad fidem gradatim pervenimus, et divina justificatio et benedictio nobis incrementa ostendunt), quas scriptura sacra revelat et commendat, — *dantur* non obstante vel potius admittente, seu requirente et petente qualicunque cujusque Christiani individua-

litate cordis, conditionis, status, destinationis, quam ajunt, seu vocationis, educationis, temporis, impedimentorum libertatis et omnium circumstantiarum ratione sapientissime a Deo habita, in usum nostrae ipsorum et aliorum efformationis, accrescentiae, sanctificationis, perfectionis, pacis et aedificationis; — ea, quae a docili, sincero, simplici, experto, perito, sapiente corde christiano sub Domini Dei spiritu ejusque spirituali vivaque cognitione ex sincera cordis meditatione de sancto et expiatorio Domini Christi sanguine oriunda (Rom. VIII. 3.), Deo volente, jubente, providente, magis magisque et in suum et aliorum commodum (quippe quod ipsum cor inde a sua illuminatione, regeneratione ac vivacissima, et efficacissima Domini et Dei, qui ipse vivum caput et dux exstructi corporis aliorum, s. coetus est, cognitionem etiam aliorum conditionem, rationem et statum sensuum ex fide divini sanguinis Filii Dei et hominis profectorum cognoscere et discernere valet), animadverti et dijudicari possunt, et animadvertentur et dijudicabuntur. (Ceterum in fine hujus libri inprimis adnotetur, discipulis scholarum ex principiis christianis institutarum religiosissimum usum maximopere commendandum esse et porro brevibus verbis concludatur, primum via praescripta peccatorum veniam adipisci necesse esse; quo facto majores et plures aliae dotes extraordinariae, aut nonnullae simul vel citius, aut sensim et lentius sequuntur et se exserunt et scripturae sacrae

loca, quaecunque sint et indagentur, melius, melius intelliguntur, et clariora redduntur, et una vel altera via, vel uno et altero loco, ad *vivam* cognitionem Dei et Filii, ejusque voluntatis et proprietatum, adeoque etiam ad cognitionem et conscientiam dignitatis seu momentorum illius progredientis *vivae* cognitionis, gradatim tamen, proceditur, quemadmodum etiam in statu obortae gratiae, illuminationis et regenerationis oriundae divinae veritates, notiones, divina cogitata et sensa in contemplatione biblicarum veritatum magis magis clarius, intensius, extensius, amplius, distinctius, in corde sese explicant, et omnino quaevis cognitio ex obedientia fidei et fide oriunda, *et* cum his virtutibus conjuncta, religiose attendenda est et omnis ejusmodi attentio quovis tempore adhibenda ex excolenda; quae omnia perinde ex ipsa experientia et animadversione comprobanda sunt (biblicarum doctrinarum et locorum e sacra scriptura haustorum documentis, argumentis et exemplis). Sunt enim fides Dei et Christi atque cognitio earumque perenne augmentum et infinita accrescentia, quae demonstrari, edoceri possunt in maximum usum et commodum melioris, plenioris nostrae aliorumque sanctificationis, perfectionis et aedificationis, ergo demonstrentur, edoceantur. Omnes igitur observationes, quae mihi contigere, eo spectare videntur, vel potius spectarunt, ut pateret, plures magis, minus generales vel universales, speciales vel particulares, multifarii,

similis quidem generis, effectus et finis, verum non eodem brevi tempore aequalis claritatis et consciae extensionis gradibus, primum subjective quidem, deinde autem objective etiam comprehensis, ad fidem Christi, Domini, et cognitionem impetrandam, tuendam et etiamnum potissimum augendam, a scriptura sacra nobiscum communicatas regulas sive normas *esse*, quae in organi regularis seu normalis formam redigi possint et redigendae sint, et praesertim ab ecclesiae doctoribus et adultioribus Domini Jesu Christi cultoribus, qui perfectioni et saluti serio studeant, ratione indolis et conditionis, qua discipuli gaudent, habita, et prout hi vel *sensum* spiritus (*πνευματος*) (Rom. VIII. 3.) primum et praesertim cum vel sine quadam aut magis vel minus distinctiori cognitione ac primum et praesertim mox vel potius, et magis recta solum via distinctam, postea magis illuminatam *cognitionem* gratiae Dei susceperint, cor adtenderint, intenderint et secuti fuerint, suis aliorumque commodis probe adhibeantur, exerceantur, colantur, administrentur.

Hujus autem prioris compendioli tentamen et commentatio propter temporis hucusque tantum concessi angustiam explicit; quare haec modo Novi Foederis loca, quae ulterioribus meis meditationibus praesertim inservierunt, adponere liceat: Matth. XI. 25. XVI. 13—22 ss. XXIII. 8—10. Joh. V. 39. VII. 17. X. 34—38. I. 14, 16—18. III. 1—21. 31—36.

XIV. 17—24. XVI. 7—33. VIII. 12. XII. 35. 36. XVII. 1—26. Ebr. IX. 11—15. X. 13—26. Act. XVII. 31. XXVI. 22. 23. Ebr. XII. 14. Rom. VIII. 3. Phil. III. 9—11. IV. 4—9. 2 Petr. I. 3—8. 16—21. Eph. VI. 14—18. 1 Cor. I. 17—30. II. 1—5 ss. Eph. I. 3—23. II. 1—10 ss. 2 Cor. III. 3—18. IV. 1—6 ss. 1 Joh. V. 1—5—14. 20. 21.: „*οιδαμεν — ὁτι ὁ Υἱος τȣ Θεȣ ἡκει, και δεδωκεν ἡμιν διανοιαν, ἱνα γινωσκωμεν τον αληθινον· και ἐσμεν ἐν τῳ ἀληθινῳ, εν τῳ Υἱῳ αυτȣ Ἰησȣ Χριςῳ· οὑτος ἐςιν ὁ ἀληθινος Θεος και Ζωη αἰωνιος. Τεκνια, φυλαξατε ἑαυτȣς απο των ειδωλων.*“

ERRATA.

Pag. 1. l. 12. „vero veraci“ interpone Comma.
— 16. l. 5. lege: utpote ente.
— — l. 4. infra dele Comma post vocem „cor“.
— 23. l. 13. — lege: compunctus.

CONSPECTUS

EORUM, QUAE IN HUJUS LIBRI COMPENDIO TRACTANTUR.

BT 772 .G15	Gaab Symbolae --- 18317

1831